

1641.

1412 d. 6 Nov.

Borgaren i Malmö, Hemming Bøneseck säljer till borgaren Johan i Kolve en bod i nämnda stad.
Afskr. i Reg. Eccl. Lund. sid. 102.

Vniuersis presentes literas inspecturis Hemmingus Bøneseck, villanus Malmøgensis, salutem in Domino. Notum facio vniuersis, quod recognosco me viro discreto Johanni de Kolue, meo dilecto conuillano, presencium exhibitori, quandam tabernam meam, septem vlnas cum vno quarter a terra Gunteri et sic versus orientem in longitudine continentem, et sedecim vlnas a platea generali et sic versus boream, in curiam mensurando in latitudine continentem, in curia, quam personaliter nunc habito, Malmøghe sitam, vna cum fundis, terris, spaciis eidem taberne pertinentibus, pro pleno precio ac sufficienti, sicut in hiis scriptis contentum reddo, plenarie subleuasse, vendidisse, alienasse, appropriasse tenore presenciumque scotasse ac libere resignasse, jure perpetuo possidendam. Insuper obligo me et meos heredes ad appropriandum, liberandum et disbrigandum prefato Johanni de Kolue et eius heredibus prescriptam curiam cum singulis suis premissis pertinentiis, pro et ab impetitione et alloquione presencium et futurorum quorumcumque. In cuius rei testimonium sigillum meum vna cum sigillis virorum discretorum videlicet Andree Horn, consulis, Achonis Jenisson, Henrici Skulte et Regnikini de Bøgelen, villanorum ibidem, presentibus est appensum. Datum anno Domini mcdxij, dominica proxima post diem omnium sanctorum.

1642.

1412 d. 9 Nov.

Rom.

Kardinalerne Petrus, biskop i Sabina, Jordanus, biskop i s. Alban, m. fl. utlofva aflat åt dem, som på Vadstena klostres kyrkogård bedja för de döde.

Afskr. i Vadstena klostres kopiebok (A. 23) fol. 78 v.—79.

Vniuersis et singulis christifidelibus presentes literas visuris seu audituris nos miseracione diuina Petrus, episcopus Sabinensis, dictus de Hispania, Jordanus, episcopus Albanensis, dictus vlgariter de Vrsinis, et Johannes, tituli sancti Petri ad uincula, Vlixbonensis vlgariter nuncupatus, presbiter, et Petrus sancti Angeli, dyaconus, sacrosancte Romane ecclesie cardinales, in Christo Ihesu pacem, gaudium et salutem. Virgo venustissima et omnium virtutum floribus insignita virgo, Dei genitrix gloriosa, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, cuius precibus iuuatur populus christianus, florem speciosissimum, inmarcessibilem et eternum, dominum nostrum Jhesum Christum ineffabili sancti spiritus gracia cooperante produxit, qui secundum suam misericordiam saluos nos fecit et omnes homines vlt saluos fieri et ad agnicionem veritatis peruenire, cunctorum peccatorum veniam tribuendo et celestia regna suis deuotis fidelibus largiendo suosque cultores spiritu humiles ditando thesauris preciosissimis necnon indulgenciis ineffabilibus deuocionem ipsorum, quasi quibusdam allectiuis muneribus, excitando, vt sic eos gradatim per premia ad premia salubriter inuitet, qui pro transitoriis dat eterna